

ita perditur privilegium eodem tempore, quo et præscribitur contra jus commune. » Accedit ratio, quia privilegium est lex privata; ergo si juri communi tanto vel tanto tempore derogetur, multo magis privilegio, prout amplius discurret Engel, h. t. n. 9. Cum quo proinde :

228. *Doctrina practica ad propositum.* — Inferes primo, concordando jura juribus, quod privilegium contra jus civile concessum, per non usum et habita occasione utendi, amittatur lapsu decennii, arg. l. 4, ff. de Nundinis; nam ad derogandum legi civili sufficit decennium arg. l. 1, c. *Quæ sit longa consuetudo.*

229. Et contra privilegium ecclesiis, vel personis ecclesiasticis concessum, ac usu aliquando receptum, non amittitur nisi spatium 40 annorum, arg. c. *Accedentibus*, h. t. Nam ad derogandum legi ecclesiasticæ, et usu aliquando receptæ, requiritur tempus 40 annorum, arg. c. *Auditis, de Præscript.* et c. *Cum Ecclesia, de Causa possess.* atque cum communiori doctorum diximus tit. *de Consuetudine*, § 5.

230. *Respondetur ad c.* Si de terra, h. t. — Quomodo autem præmissis non obstet c. *Si de terra*, h. t. ubi monasterium per 30 annos solvens decimas censetur renuntiasse juri privilegii, quo exemptum erat a solvendis decimis, conatur solvere Engel, loc. cit. id explicans de privilegio, usu nunquam recepto, eo quod monasterium illud a sui erectione decimas semper solvisset: nam etiam leges ecclesiasticæ usu nunquam receptæ abrogantur decennio, multo magis annis triginta.

231. *Status questionis de privilegiis hodie valentibus.* — Quæritur V. Quænam privilegia in specie pro regularibus mendicantibus præsertim ordinis nostri adhuc valeant, et subsistant, ita ut nec revocata, nec per non usum, aut actum contrarium, renuntiatione, præscriptione, aut alia via sint amissa? consequenter vel in utroque, vel saltem in foro interno eis uti liceat? Ante responsionem nota, quod etsi resolverimus, privilegia in specie a potiori compendiose saltem adducere, tamen quia opus aggredientes vidimus, opus fore integro novo tomo ad id præstandum, mutata intentione, per aliquas conclusiones universales, et remissione ad compendia privilegiorum satisfacere quæstioni conducens duximus. Quare :

232. *Multa centena privilegia partim pro*

utroque, partim pro foro interno adhuc valent, utpote nec ullibi revocata. — Resp. I. Plurima, imo multa centena privilegia in specie regularibus mendicantibus præsertim ordinis nostri per diversos Pontifices concessa etiam pro utroque foro adhuc vere valida existunt, valideque, et licite practicari possunt. Ratio conclusionis est, quia tam in nostro, quam Societatis Jesu et aliorum ordinum compendio, et recollectione privilegiorum maxima copia illorum in specie allegari possunt, quæ nec sunt revocata, nec per usum contrarium, vel non usum, renuntiationem, præscriptionem, vel aliam viam amissa fuere.

233. Et quidem quod plurima nulli revocationi sint subjecta, inde patet: tum quia nunquam huc usque facta est, nec unquam fiet aliqua universalis revocatio omnium privilegiorum; quia licet plures a variis Pontificibus in certa materia editæ sint constitutiones revocatorie privilegiorum, hujusmodi constitutionibus contrariorum, tamen plurima adhuc alia, et quidem, ut diximus, multa centena privilegia dantur, quæ a dictis constitutionibus, utpote in alia materia emanatis, minime tanguntur.

234. Pariter licet etiam concilium Tridentinum in diversis sessionibus in specie et expresse revocarit aliqua privilegia, ac insuper omnia ejusdem sessionis 25, *de Regularibus*, contraria juxta dicta superius; tamen non obstante, quod præfata per concilium Tridentinum, et multa alia per constitutiones supra dictas vere sint revocata, adhuc multa centena alia existunt, quæ nec præfato concilio, nec supra dictis constitutionibus sunt contraria; consequenter ab eis minime revocata, uti videre est inter alia in nostro compendio privilegiorum reformato per P. Hieronymum a Sorbo.

235. *Compendium nostrorum privilegiorum fuit exacto reformatum juxta decreta concilii Trident. et constitutiones pontificias.* — Notandum siquidem specialiter, quod dictum nostrum privilegiorum compendium omni debita cum reverentia et obedientia erga S. Sedem, juxta decreta concilii Tridentini, et aliarum constitutionum papalium fuerit reformatum, et sic reformatum editum, adeo ut nullum in illo reperiatur privilegium a concilio Tridentino, vel aliqua constitutione Pontificia usque ad Clementem VIII revocatum; et tamen multa centena in illo reperiuntur privilegia, etiam nulli posteriori

constitutioni Pontificiæ contraria, nec per aliam causam amissa, uti legenti patebit. Pariter res se habet de compendio privilegiorum Societatis Jesu recenter edito, sicut et de aliis.

236. *Valent etiam adhuc plurima vocis oracula: et quæ?* — Rursus, licet Gregorius XV et Urbanus VIII, universaliter pro utroque foro revocarint omnia vivæ vocis oracula non vere authentica, seu de quibus testimonium officialium et ministrorum superius allegatorum non constat; tamen non obstante dictorum Pontificum revocatione, plurima oracula adhuc valent; tum quia plurima habentur vere authentica, omnia videlicet illa, quæ in nostro privilegiorum compendio signata sunt majori littera O. juxta dicta supra; tum quia omnia vivæ vocis oracula in libris ordinis nostri reperta, etsi testimonio præfatorum officialium non authenticisata, Leo X saltem pro foro conscientie, novo vivæ vocis oraculo vere authentico de novo concessit, et eadem etiam Gregorius XIII et Clemens VIII, ex certa scientia per specialem Bullam de novo confirmarunt et concesserunt, consequenter fecerunt, quod dicta nostra oracula in libris ordinis reperta Gregoriæ, et Urbane revocationi non subjaceant, et consequenter adhuc saltem in foro conscientie valeant, juxta dicta supra. Cum oracula vere authentica, vel quæ per novam Bullam denuo sunt concessa, evadant privilegia scripta, et per consequens a dictis Pontificibus nullatenus revocata.

237. *Causæ amissionis privilegiorum parum obsunt privilegiis nostris.* — Porro sæpe dicta magna copia privilegiorum parum vel nil minuitur non usu aut usu contrario, aut renuntiatione illorum, aut alia amissionis causa; tum quia plurima ex eis sunt mere gratiosa, quæ non usu, aut usu contrario minime cessant per dicta supra. Tum quia pleraque sunt data ordini, dignitati, officio, aut communitati, quibus per privatos renuntiari nequit; tum quia alia amissionis causa facile probari nequit, et interea privilegiati sunt in possessione privilegiorum. Hinc ad quæstionem n. 231, positam post praxi.

238. *Privilegia nostra, seu Bullata, et oracula authentica in nostro compendio reperta valent pro utroque foro.* — Resp. II. Omnia et singula privilegia scripta, seu Bullata, etiam omnia et singula vivæ vocis oracula

vere authentica, quæ in nostro reformato privilegiorum compendio reperiuntur, et nova aliqua constitutione post Clementem VIII circa certam materiam expresse revocata non sunt, et contra quæ causa aliqua amissionis probari non potest, adhuc pro utroque foro valent. Vivæ vocis oracula vero plene non authentica, et ex libris tamen ordinis nostri ibidem adducta, valent pro solo foro interno, utpote pro hoc solo ab allegatis Pontificibus de novo concessa, etc. Patet tota conclusio ex dictis, quam pro compendiosa et practica notitia solum adducere, de reliquo lectorem scire cupientem, num et quale in hac vel illa materia privilegium habeamus, ad sæpe allegatum reformatum nostrum compendium privilegiorum ordine alphabetico compositum remittere expediens duximus.

239. *Paucis exceptis, illis nempe, quæ per novas constitutiones pro certa materia editis, sunt revocata.* — Dicitur notanter, et nova aliqua constitutione post Clementem VIII revocata non sunt; quia aliqua respective tamen vaide pauca in dicto compendio reperiuntur privilegia, quæ a novis constitutionibus fuere revocata, utpote contraria hujusmodi constitutionibus in illa materia, circa quam fuere edita cum clausula non obstantibus quibuscunque privilegiis, etc., uti erat privilegium super altari portatili celebrandi Missam in quovis etiam sæculari loco, quod fuit revocatum a moderno Pontifice iuxta dicta lib. III. tit. XLI, a n. 4.

240. *Plura de privilegiis, remissive.* — Et hæc de materia privilegiorum dicta sufficiant; qui plura de his desiderat, consulat quæstiones regulares Roderiquez, Manuale Mirandæ, Hyacinthum Donatum, Peyrinam, Lezanam, et alios, integros tomos de privilegiis scribentes. Nobis properandum ad alia. (ADNOTATIO XLV.)

TITULUS XXXIV.

De purgatione canonica.

1. *Purgatio canonica, quid?* — Quæritur I. Quid sit, et quomodo fieri debeat purgatio canonica? Ante responsionem nota purgationem canonicam ut sic quantum ad propositum, aliud non esse quam ostensionem

innocentiæ de objecto sibi criminis. Et hæc duplex est, videlicet canonica et vulgaris, quarum posterior reprobatur a jure, ut dicemus tit. seqq. De priore autem, sic dicta, quia a S. canonibus est adinventata et approbata, hoc tit. et cau. 5, quæst. 5, ferme per totum, his notatis, Resp. I. quod canonica purgatio sit innocentie alicujus criminis, de quo quis diffamatus est, canonice seu juxta præscriptum S. canonum facta ostensio.

2. *Olim fiebat per juramentum ad sepulcrum, vel reliquias sanctorum.* — Resp. II. Quamvis olim varius fuerit modus purgationis canonice, v. g. per juramentum tam a reo, quam accusatore præstitum ad sepulcrum, vel reliquias sanctorum, can. *Habet*. 6, can. *Menam*, 7, can. *Quanto*, 8, can. 2, q. 7, præsertim vero illorum, qui miraculis magis clarebant; eo quod mirabili harum reliquiarum virtute, vel intuitu meritorum talium sanctorum Deus sæpe mirabiliter patefecerit innocentiam, vel crimen, et perjurium diffamatorum, vel accusatorum, prout plures testantur SS. Patres apud Baronium, ad annum Christi, 412, a n. 24.

3. *Vel per sumptionem Eucharistiæ.* — Item per susceptionem S. sacramenti Eucharistiæ, vel celebrationem Missæ, arg. can. *Sæpe*, 23, et can. fin. cau. 2, q. 5, quia præsumebatur, nullum tam temerarium fore, ut reus et conscius criminis a se commissi in sui condemnationem audeat sumere Corpus et Sanguinem Christi; præsertim cum in signum innocentie sumi oportuerit, in hæc verba: « Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie: » cit. can. *Sæpe*.

4. Nihilominus præfati, et alii modi purgationis canonice justis de causis sublatis, et alia forma ejusdem introducta, et hodie servanda est, illa videlicet, quæ scribatur c. *Quotiens*, 5, h. t. vi cuius imprimis purgandus sive reus, tactis sacrosanctis Evangelii debet jurare, quod crimen illud, de quo infamatus est, nec per se, neque etiam per substitutam personam, aut alium suo nomine scienter illud perpetraverit. Et notanter sic dicitur, non enim sufficit reo de criminibus infamato jurare, quod sit immunis ab illis criminibus, hoc enim verificaretur per veram peractam poenitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur: sed quia hoc nemo scire potest, juxta illud Job, cap. ix. « Etiamsi simplex fuero, hoc

ipsam ignorat anima mea, » cum Concordantiis: idcirco juramentum esset temerarium, indiscretum, et ineptum ad purgationem canonice, prout id ipsum expresse reprobatur cap. ult. h. t.

5. *Et quorundam compurgatorum, ita ut ille de veritate, hi vero de credulitate jurent.* — Deinde sunt adhibendi compurgatores, plures vel pauciores juxta qualitatem personæ, delicti ac infamie; nam hic numerus est arbitrarius, et a judice taxandus, arg. c. *Inter*. h. t. ubi quatuordecim compurgatores propter magnitudinem criminis objecti requiruntur, sed cap. i, eod. requiruntur duodecim, et c. *Ex tuarum*. eod. septem, vel quinque, quamvis et pauciores sufficere possent, arg. c. *Cum dilectis*. h. t. et c. *Cum in juventute*. eod. duo Abbates fuerunt deputati, ac notat Pirhing, h. t. n. 11. Debent autem hujusmodi compurgatores esse vicini ipsius rei, qui vitam et conversationem ipsius agnoscant, simulque personæ honestæ ac bonæ famæ, c. *Cum P.* 7, et c. *Cum in juventute*. 12, h. t. qui jurabunt, quod credant, purgandum non commisisse crimen objectum, sed quod credant, ipsum verum jurasse. Unde patet discrimen inter juramentum purgandi, et compurgatorum: nam ille debet jurare juramento de veritate, quod nempe objectum crimen non commiserit; Compurgatores vero jurant de credulitate, c. *Quotiens*, 5, et c. *De Testibus*, 13, h. t.

6. *Peregrino creditur sine compurgatore: et quomodo?* — Porro si quis peregrinus, aut alias ignotus, ita ut compurgatores de vita et honestate ipsius notitiam habentes acquirere non possit, eidem soli, si alias fide dignus censetur, creditur, ita tamen ut non tantum juret, se crimen non commisisse, sed etiam juret, se compurgatores habere non posse. Abbas, in c. *Inter*. h. t. n. 7.

7. *Purgatio canonica non nisi a competente judice indici potest.* — Quæritur II. A quo, et quando indici possit, ac debeat purgatio canonica? Resp. I. Purgatio canonica indici potest a solo judice competente, qui de crimine alias cognoscere potest, aut debet, adeo, ut si a non judice indicta fiat, minime valeat, et perinde sit, ac si facta non fuisset. Communis, et certa, arg. c. *Nos inter*. 6, et c. *Inter*, 10, h. t. item c. *Licet*. 5, de *Officio Legat.*

8. *Ut legitime alicui indicatur, requiritur I. Ut talis de crimine publice sit diffamatus aut suspectus.* — Resp. II. Ad hoc, ut alicui pur-

gatio canonica indici possit, aut debeat, plura requiruntur. Et quidem I. Quod per accusationem, vel alias de crimine publice diffamatus, vel verisimiliter suspectus sit, ita ut fama illius etiam apud probos honesta læsa existat. Innocentius, in c. *Nos inter*, 6, h. t. Sylvester, 7. *Purgatio*. n. 2, Pirh., h. t. n. 7, cum communi, arg. c. *Si quis*, 4, c. *Quotiens*. 5, et seqq. h. t. Ratio est, quia purgatio canonica ideo præcipue introducta est, ut casu, quo crimen, vel innocentia diffamati alio modo probari nequit, per purgationem detegatur, quatenus tollitur publicum scandalum populi, dum vel reus inventus condemnatur, vel suspicio criminis deletur, atque infamia rei convertitur in bonam famam, arg. c. *Inter*. 10, h. t.

9. II. *Et quidem verosimiliter.* — II. Requiritur, ut infamia, aut suspicio non sit levis, sed verisimilis et gravis, aut vehemens, casu quo ob eam purgatio indicitur, communis arg. c. *Si quis*. 4, h. t. ibi: « Si verosimilibus suspicionibus fuerit propulsatus, canonice se expurget, » et c. *Inter*. 10, eod. et Vehementem suspicionem, etc.

10. III. *Ut fama ortum non habeat a malevolis. Propter scandalum vitandum recedatur a jure communi.* — III. Requiritur, quod, si ob publicam infamiam indicitur purgatio, infamia ortum habeat a personis honestis, et fide dignis; quia orta a malevolis non sufficit ad indicendam purgationem, nisi diffamatus ipsemet pro ea instaret, aut nisi etiam taliter orta infamia generaret publicum populi scandalum, quod aliter quam per purgationem canonice sedari non posset, arg. c. *Inter*. 10, h. t. Ratio posterioris est, quia propter scandalum vitandum receditur a jure communi c. 2, de *Novi operis nuntiat*. c. *Teneamur*. 6, de *Præbend.* et c. 2, de *Præscript.*

11. IV. *Requiritur, ut crimen, vel innocentia aliter probari non possit.* — IV. Requiritur, ut crimen, aut innocentia per testes, aut alios idoneos modos probari non possit, c. *Inter*. 10, h. t. ibi: *Accusatore, et testibus deficientibus*. Ratio est, quia purgatio canonica a jure est introducta in subsidium aliarum probationum.

12. V. *Ut crimen non sit notorium.* — V. Requiritur, ut crimen non sit notorium, c. *Cum dilectis filiis* 15, h. t. ibi: « Si crimen notorium existeret, non erat illi indicenda purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda; » quia notoria non

indigent probatione, imo nec excusatione, arg. can. *de Manifesta*. can. 2, q. 1, et c. *Evidentia*. 9, de *Accusat.*

13. VI. *Et diffamata persona sit alias fide digna. Plebeis, et vilibus non indicitur purgatio canonica, sed tortura.* — VI. Requiritur, ut persona diffamata cæteroquin sit fide digna, et de perjurio committendo minime suspecta, textu claro c. 1, h. t. et ibi Glossa; imo Farinacius, *Praxi crimin.* 9, 94, n. 54, cum aliis bene notat, cum purgatio indicitur, debere insuper esse talem personam, cujus fama, et existimatio populo Christiano necessaria videtur, aut utilis, aut cujus crimen generaret majus scandalum, ut sunt episcopi, prælati ecclesiastici, prædicatores verbi Dei, sacerdotes, vel alii viri honesti, arg. cit. c. 1, h. t. Viles siquidem, vel plebei, si per accusationem vel alias, publice diffamati, aut graviter suspecti existant, deficientibus aliis probationibus non per purgationem canonice, sed per torturam quæstionibus subjiciendi sunt; quod etiam praxis habet, et merito, cum apud hujusmodi viles plerumque sit periculum perjurii.

14. *Judex potest purgationem canonice indicare vel ex officio, vel ad instantiam partis.* — Cæterum concurrentibus supra dictis requisitis potest judex purgationem indicare vel ex officio c. 1, et seqq. h. t. per totum, vel ob instantiam diffamati.

15. *Et quidem non solum super crimine, sed etiam super macula, defectu, aut impedimento.* — Et quidem non tantum de crimine, sed etiam de macula, vel defectu naturali, aut impedimento obstante ad ordines v. g. beneficia, etc., arg. c. *Accedens*. 14, h. t. et ibi Glossa, 7. *Purgatione*. Abbas, n. 4, h. t.

16. *Diffamatus in purgatione deficiens, punitur ut reus; et qualiter?* — Quæritur III. Quid juris, et qualis effectus sequatur si quis in purgatione sibi indicta deficiat? vel e contra si eam rite faciat? Resp. I. Si quis diffamatus de crimine post indictam sibi a suo legitimo judice purgationem canonice defecerit in ea, vel quia ipse jurare noluit, vel certe, quia non invenit compurgatores, qui, præstito de credulitate juramento, eum expurgare valeant, tanquam convictus de crimine, auctorque criminis puniendus est, cit. c. *Inter*. § fin. h. t. et c. *De hoc*. et c. *Insinuatam, de Simonia*. Ratio est, quia præsumptio verisimilis, quæ ex infamia rei

orta est, reo in purgatione deficiente, transit in violentam vi cuius iudex procedere potest ad sententiam, et infligere pœnam saltem extraordinariam, prout amplius diximus lib. II, tit. XXIII, § 3, imo juxta aliquos etiam ordinariam, Menochius, lib. V, præsumpt. 41, n. 3. Farinacius, *Praxi criminali*. q. 86, n. 5. Konig, *de Præsumpt.* n. 3, præsertim in judicio ecclesiastico, ubi etiam ordinaria pœna non est mortis aut mutilationis, Pirhing, h. t. n. 37.

17. *Purgationis rite factæ effectus, qui?* — Resp. II. Purgationis legitime factæ plures sunt effectus. Patet inductione. Nam primo legitime se purgans illico est absolvendus a crimine, declarandus innocens, et in statum pristinum restituendus. Secundo statim debet absolvi a suspensione, casu quo ob infamiam criminis ei inflicta est, c. *Ex tuarum*. 8, et c. *Inter*. 10, h. t. Tertio mox evadit vir boni testimonii, cit. c. *Ex tuarum*. 8, h. t. ejusque infamia tollitur; fama e contra, vel existimatio reintegratur, præsertim si vitam etiam bonis moribus adornet, cit. c. *Inter*. 10, h. t.

18. *Ordinarie de tali crimine non amplius potest accusari.* — Quarto, quod ordinarie loquendo de eodem crimine accusari amplius nequeat Glossa, Hostiensis, et alii communiter; tum ne de eodem delicto ejusdem hominis sæpius quærat contra l. *Licet*. 6, ff. *Nautæ, Cavpones*, etc. Tum quia Jusjurandum non minoris auctoritatis est, quam res judicata, l. *Jusjurandum*. 2, ff. *de Jurejurando*.

19. *Nisi nova indicia emergant; vel accusator suam prosequatur injuriam, aut probare velit, diffamatum perjurasse.* — Dicitur autem notanter ordinarie loquendo, quia limitatur præcedentis numeri doctrina in casu, quo concurrentibus novis indiciis nova infamia, vel Accusator adsit. Abbas, in c. *Ex tuarum*. 8, h. t. n. 5. Item in casu, quo quis suam, aut suorum injuriam prosequitur, l. *Si cui*. 7, § ff. *de Accusat.* vel doceret Infamatum purgando se, perjurasse, l. *Admonendi*. 31, ff. eod. vel priorem accusatorem fuisse prævaricatum, l. *Prævaricationis*, 3, § 1, ff. *de Prævaricat.*

20. *Purgatio canonica hodie fere in desuetudinem abiit, excepto officio inquisitionis.* — Plura de purgatione canonica dicere non præstat, eo quod magna ex parte jam in desuetudinem abiit; quamvis in officio Inquisitionis adhuc vigere dicatur. (ADNOTATIO XLVI.)

TITULUS XXXV.

De Purgatione vulgari.

1. *Purgatio vulgaris quid?* — Quæritur quid, et an licita vel valida sit purgatio vulgaris? Resp. I. Purgatio vulgaris sic dicta a vulgo, eo quod ipsa nullo jure, sed a vulgo, fabricante diabolo, fuerit adinventata, c. *Menna*. 2, q. 1, est temeraria probatio innocentiae, vel per duellum, vel per ferventis, aut frigidæ aquæ, ignitique ferri contractum, aut alia simili vulgari adinventione, ea conditione, ut victus in duello, vel ferro candente adustus, aut aliter læsus habeatur ut reus; sin minus, reputetur innocens, c. 1, et seqq. tot. h. t.

2. *Est illicita, et reprobata a jure pluribus ex causis.* — Resp. II. Purgatio vulgaris tanquam illicita reprobata est, et damnata a SS. canonibus, cit. c. *Mennam*, et c. *Monomachiam*. 2, q. 5, necnon toto præsentis titulo, et quidem tribus de causis. Primo, quia per eam non raro contingebat quempiam damnari, qui revera innocens erat, de quo refertur casus cap. II, h. t. Secundo, quia per purgationem hujusmodi vulgarem Dominus Deus tentari videtur, cap. ult. h. t. et c. *Monomachiam*. 2, q. 5. Tertio, quia est inventa a Diabolo, c. *Constituisti*. et c. *Mennam*. 2, q. 5. Hinc concilium Tridentinum, sess. 25, cap. XIX, *de Reformat.* ait: « Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciosè lucretur. »

3. *Solvitur objectio ab exemplis sanctorum.* — Nec refert, quod multi sancti ad hujusmodi purgationem se obtulerint; eaque suam innocentiam Deo miraculose concurrente ostenderint. Respondetur enim, id ex speciali instinctu divino factum esse, quo absente id facere sine tentatione Dei non licet, per jura allegata.

4. *Ex Veteri Testamento desumpta.* — Dices, Deus ipse hujusmodi purgationem in veteri Testamento præscripsit. Num. cap. V, v. 18, sicut et concilium Moguntinum sub Rabano celebratum, can. 24, ibi: « Qui presbyterum occiderit, etc., ac negaverit, si liber est, cum septuaginta duobus juret: si servus, super duodecim vomeres ferventes se expurget, » ergo. Resp. Purgationem illam in antiquo Testamento præscriptam

fuisse Cæremonialem, quam quia Deus præcepit, eidem etiam assistentiam saltem tacite promisit: jam vero cum Cæremonialia, consequenter etiam promissio assistentiæ Divinæ cessarint, ea non amplius licet uti. Ad Concilium dico, ei per sacros Canones derogatum esse.

TITULUS XXXVI.

De injuriis, et damno dato.

1. *Ratio ordinis.* — Quia crimina et excessus, de quibus hactenus egimus, fiunt subinde cum injuria et damno: hinc præcedentes titulos sequens recto ordine sequitur.

§ I.

DE INJURIIS.

2. *Injuria large et proprie loquendo, quid?* — Quæritur I. Quid sit et quibus modis inferatur injuria? Resp. I. Quamvis generaliter loquendo injuria ex eo dicta, quod non jure fiat, sit, et dicatur omne illud, quod contra justitiam et æquitatem fit, seu quod non jure fit: pr. *Institut.* h. t. et l. 1, ff. *de injuriis*, ibi: « Omne enim, quod non jure fit, injuria fieri dicitur: » tamen specialiter, et ad præsens injuria sumitur pro contumelia, seu pro delicto per quod dolo malo inferatur alteri contumelia, ut l. 1, ff. h. t. ibi: Specialiter autem injuria, etc. Dicitur contumelia, qua per quamdam vilipensionem, despectum, vel contemptum honor, respectus, et infamia alterius læditur, contumelia enim a contemnendo dicitur, pr. *Institut.* h. t.

3. *Requiritur ad eam dolus, seu malus animus.* — Dicitur autem notanter dolo malo: cum enim juxta dicta injuria ad præsens sit contumelia, seu quedam vilipensio, despectus, vel contemptus alterius, omnino requiritur ad eam malus dolus, seu malus animus, et propositum alterum injuriandi, id est, dicendi, vel faciendi, quod in illius vilipensionem, despectum, et probrum honorisque detrimentum vergat, l. 3, § 1, 2 et 3, ff. h. t. et l. *Si non convicii*. 5. C. eod.

4. *Hinc ab injuria, et actione injuriarum immunes sunt omnes, qui sunt doli incapaces,*

sunt et qui correctionis causa verba injuriosa adhibent. Correctionis causa raro expedit verba contumeliosa adhibere. — Hinc inferitur, injuriam non inferre, et consequenter actioni injuriarum non subjici sequentes, I, infantes, et impuberes, furiosos et mente captos l. *Illud*. 3, § 1, ff. h. t. II. Eos, qui per jocum quid injuriosum faciunt, et dicunt, cit. l. *Illud*. 3, § 3, ff. h. t. III. Illos, qui vi officii, aut status sui causa moderatè castigationis, vel correctionis et emendationis injuriosum quid in alterum committunt aut faciunt, uti ludimagistri, præceptores respectu suorum discipulorum, parentes respectu liberorum, domini respectu famulorum, mariti respectu uxorum, superiores respectu subditorum, etc., l. *Item apud La-beonem*. 15, § 38, ff. h. t. ibi: « Si quis corrigendi animo, aut emendandi non tenetur. » Et probatur etiam exemplo Christi, qui Petrum vocavit « Satanam » Matth. 16 et discipulos euntes in Emmaus « stultos, et tardos corde: » et Paulus Galatas vocat « insensatos, » Cretenses « semper mendaces. » Notat tamen recte S. Augustinus, lib. II, de sermone Domini in monte, cap. xxx, raro et non nisi ex magna necessitate hujusmodi injurias objurgationes esse adhibendas, utpote quibus plerumque magis exacerbantur, quam emendantur subditi.

5. *Verba ex se injuriosa proferens præsumitur dolo proferre.* — Cæterum alia personæ mentis, et doli capaces si quid suapte natura injuriosum alteri faciunt, aut dicunt, dolo seu injuriandi animo fecisse præsumuntur, adeo ut asserenti se tantum per jocum, aut alias nullo injuriandi animo fecisse, incumbat probatio. Clarus, § *injuria*, n. 12. Menochius *de Præsumpt.* lib. V, *Præsumpt.* 3, n. 47. Pirhing, h. t. n. 2, arg. l. *Si non convicii*. 5. C. h. t. et ibi Glossa § *Probare potes*: sicut e contra si verbum vel factum ex se injuriosum non est, onus probandi illi incumbit, qui asserit id animo injuriandi factum esse, l. *Ei incumbit*. 2, ff. *de Probat.* l. *Actor*. 23, c. eod. l. qui in alterius. 42, ff. de R. l. quæ probatio per conjecturas fiet: Zoësius in ff. h. t. n. 4.

6. *Injuria fieri potest tam absenti, quam præsentis, idque vel verbis.* — Resp. II. Injuria tribus modis, verbo videlicet scripto, et facto inferri potest. Verbo fit, quando quis de altero sive absente, sive præsentis quid probrosum aut injuriosum oretenus profert, obijciendo, vel enuntiando defectum morum, aut na-